



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XXII. De Collusione detegenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

Episcopus §. can. Sortes 7. Sc. 26. q. 5. c. 1. hic cum enim ejusmodi scriptura, verba, signa &c. neque ex natura sua, neque ex promissione aliqua Divina connexionem ullam habeant cum eventu futuro aliave re occulta, admixtam habent tacitam invocationem aut pactum implicitum cum demone, illis verbis, signis &c. prolatis vel positis, futura & occulta manifestante vel procurante, *cit. Doctor Angelicus art. 8. Suarez n. 28. & Palao Tract. 17. disp. 1. p. 6. n. 12.* ut adeo mirum non sit, quod hujusmodi sortium usum, tanquam speciem quandam Apostasie à Deo, qui futura & humanorum cordium secreta solus novit 2. Paralip. cap. 6. v. 30. & familiaritatis cum diabolo, mortalium deceptore & hoste perniciosissimo, cui, qui iis utuntur se quasi discipulos subdant, sacri prophante LL. Conditores severissima ultionis exemplis sint persecuti.

10. Jure enim Civili in Sortilegos bonorum publicatio & capitis, imò aliquando ignis supplicium à Constantino Imp. decretum est *l. Nullus 3. §. 1. Nemo 5. C. de Malef. Hodie* arbitraria, & pro qualitate delicti istiusque circumstantiarum, carceris, relegationis & aliquando ultimi supplicii poena coërcetur, apud Brune-

mannus in *ll. cit. à n. 5.*

Ecclesiastico autem Jure iidem, si II. laici, verberibus castigari & perpetuo carceri mancipari, *can. Contra, 26. q. 5.* imò privari fidelium communione, *can. Admoneant, in fine, q. 7.* si autem clerici sint, ab officio & beneficio deponi, & ad agendam perpetuam poenitentiam in Monasterium detruendi, jubentur *can. Non oportet Sc. q. 5. cit. Sc. 1. hic,* ubi Glossa fin. & Panormit. n. 2. Quin eos degradandos & curiæ Seculari tradendos, desumi videtur ex *can. Admoneant cit.* quem tamen textum non de reali, sed verbali tantum degradatione sive depositione ab officio & beneficio exaudiendum, rectè notat *cit. Pirrhing n. 17.* Nisi divinationes & sortilegia saperent Hæresin; cujusmodi sunt, quibus ea, quæ Deo competunt, aut soli reservata sunt, ipsi negantur, vel diabolo tribuerentur; has enim exercentes obnoxii sunt poenis hæreticorum, de quibus actum *Tit. 7. à n. 42.*

Porro, licet tales sortilegi, etiam laici, 12. coërceri possint per Ecclesiasticam potestatem, *can. contra cit.* in eos tamen, quando Hæresis suspicio abest, ferè procedit curia Secularis, Panormit. *in c. 1. n. 3. Clarus §. Hæresis, n. 25. & Sanchez Lib. 2. Moral. cap. 38. n. 92.*



TITVLVS XXII.

De Collusione detegenda.

SUMMARIUM.

1. Illa accusator dolose adjuvat reum:
2. Contra quem à collusione absolutum

- Inquisitio,*
3. Et nova accusatio institui potest.
 4. Beneficiu privantur, qui super iis col-
ludunt.
- L 1 3

Falsi

1. **F**Alsi criminis species quædam est Collusio, sive latens & fraudulenta conventio inter actorem & reum, Sylvester *V. Collusio, n. 1.* & Gonzalez *in c. fin. n. 3.* quæ tam in Criminalibus, quam Civilibus, tam spiritibus & Ecclesiasticis, quam temporalibus ac prophanis causis admitti potest, Hostiens. *in Summa, n. 1.* Ejus præsentis Rubricæ subiectis textibus duo casus referuntur.

2. Unò accusator rei accusati partes adjuvat, veras probationes celandò vel omittendò, aut defensiones vel exceptiones falsas admittendò, vel ab accusatione desistendò, ut reus poenam sibi infligendam evitet, *c. 1. & c. fin.* Quò casu, an adversus accusatum per collusionem absolutum procedi denuo possit, dubitandi ratio est partim; quod sententia judicis absolutoria crimen sic tollat, ut de eo quæri amplius non possit, *l. Si cui 7. §. 2. ff. & c. De his 6. de Accusat. ut ad hanc Rubricam n. 49.* partim verò; quòd accusatus cum accusatore transigere valeat, saltem super crimine capitali, *l. Transigere 28. junctâ Glossâ V. Capitali, C. de Transact.* cum ignoscendum sit ei, qui sanguinem suum quòvis modò redimit, *l. 1. ff. de Bonis eorum, qui ante sent.* Unde etiam per Collusionem absolutus ab ulteriori accusatione inquisitioneque tutus esse, videri potest.

3. At revera tutus non est; cum adversus eum, per viam Inquisitionis procedere ex officio iudex, *c. 1. c. Crimina 2. & c. fin. cit.* & si de collusionem legitime constet, ab alio accusatio institui denuo permittatur *l. Prævaricationis 3. §. 1. ff. de Prævaricat. & l. Si quis 11. C. de Accusat.* ne delicta impunita maneant, contra Regulam *l. Ita vulneratus §. 1. §. 2. ff. ad L. Aquil. & c. Ut fama 35. de Sent. excommunicat.* & reus ex sua malitia commo-

dum reportet, contra *l. 1. ff. de Dolo, Panormit. in c. fin. n. 3. & 4. Gonzalez in c. fin. cit. n. 5.*

Neque aliud evincunt rationes dubitandi. Prior; quia sententia lata per collusionem nulla perinde est, ac si non esset judicatum, *l. Preses 3. C. de Pignorib. & l. Cum non justo 3. ff. de Collus. deteg.* eaque de causa iudici adversus reum, collusio interveniente absolutum, procedere volenti, non obstat, *can. Si quem 8. pr. 2. q. 3. Panormit. cit. n. 4. Vivianus in c. fin. cit. & Brunneman. in l. Cum non justo cit.* Posterior; quia accusatio, licet transigenti, non tamen obstat aliis, institutâ novâ accusatione: aut iudici per inquisitionis viam procedere volenti adversus accusatum, qui transegit, *Clarus §. fin. q. 58. n. 4.* præsertim Ecclesiastico, qui poenam sanguinis nequit irrogare, *c. Clericis 5. c. Sententiam 9. Ne clerici vel Monachi &c. ubi Glossa V. Sanguinis, Panormit. n. 1. & Barboza n. 2.*

Alterò Clericus super beneficio Ecclesiastico jam possessò litem confingi sibi que moveri patitur; ut actor, in illud sibi jus competere probans, succedat; & possessor quidem, dum vivit, beneficium retineat, sed ipsi solvat annuam pensionem: quâ arte à clericis Anglicanis beneficia in suos consanguineos transmissa, & quasi hæreditaria aliquando reddita, patet *ex c. Audivimus 3. & ibi notat Gonzalez n. 1.* Ne autem in sanctionum Ecclesiasticarum, hæreditariam successionem in beneficiis damnantium, *can. Si Apostolica, can. Si ergo 8. q. 1. c. 1. de Præb. & dignit. &c.* fraudem, ejusmodi transmissio in posterum attentetur, Alexander III. ejusmodi colludentium utrumque, si de fraude legitime constiterit, beneficium, circa quod collusum est, spoliari præcepit *c. Audivimus cit.* ut hæc ratione non solum ipsorum delictum non sit impunitum; sed

Sub: sed etiam, & multo magis; ne colludentium fraus ipsis lucrosa, & damnosa sit dioecesum Ordinariis, aliisque Collatoribus ac Patronis, quibus viam

præcludit ad collationes ac præsentationes, ipsis Jure competentes, Glossa in c. cit. V. Spoliare, Gonzalez n. 10. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 6.



TITVLVS XXIII.

De Delictis Puerorum.

SUMMARIUM.

1. Puer est mas septem major & quatuordecim annis minor.
2. Infans pœnâ & culpâ quoque non tenetur:
3. Uti & puer infantia proximus.
4. Secundum aliquos DD. etiam proximus pubertati.
5. Verius in isto commissionis:
6. Non etiam omissionis delicta puniuntur:
7. Nisi dolò omisse probetur.
8. Delicta carnalia in pueris non presuntur:
9. Aliquando tamen etiam ipsa committuntur.
10. Filij mulctati pœnâ pecuniariâ non tenentur pater:
11. Nisi delicti aliquò modò fuerit particeps.

I. **M**ulta hæcenus tradita sunt de delinquentium pœnis: quibus, an etiam pueri teneantur, nunc investigandum est ac declarandum.

Pueri propriè dicuntur, qui infantiam, hoc est, septimum ætatis annum sunt egressi, l. de sponsalibus 1. q. ff. de Sponsal.

U. c. Unic. de Despons. impub. in 6. & si mares 14. si autem fœminæ sint, 12. annum non impleverunt, Panormit. in c. 1. n. 2. Farinac. Prax Criminal. q. 92. n. 6. & Zacchias Q. Medico-Legal. Lib. 3. Tit. 1. q. 4. n. 1. hanc enim ætatem assecuti jam sunt puberes, c. 1. cit. ibi, Nisi ab annis 14. cum pubescere ceperint, sive adolescentes, cit. Zacchias q. 6. n. 9. & usque ad 25. ætatis annum, à quo virilis ætas incipit, vocari solent Minores, l. 1. ff. de Minoribus.

Certum nunc est, septenniò minores, sive infantes perinde, ut furiosos, non teneri ex delictis etiam atrocibus; ut neque Civili, neque Criminali pœnâ in eos valeat animadverti, l. Quod infans 60 ff. de R. V. quia propter defectum sufficientis usûs rationis, doli capaces non sunt, & quid agant, ignorant.

Neque obstat; quòd nec infans unius diei absque peccato esse possit, ex sententia SS. Ecclesiæ DD. ac PP. Augustini can. Adhuc 32. de Pœnit. dist. 3. & Hieronymi, can. Si enim 41. S. Eligat V. Nos autem, de Pœnit. dist. 2. & quòd quinque annorum infans propter blasphemias è parentum manibus à diabolo sit abreptus, teste S. Gregorio Lib. 4. Dialog. cap. 19. Non, inquam, hæc obstant.

Textus